



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 145. De bonorum traditione Adæ in villa Bochem in pago Nithega.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

Ab anno  
826 vsque  
853 im-  
perante  
Hudo-  
uico et

## §. 143.

Tradidit *folclog* (Z) mansum dominicatum cum omnibus ad eum pertinentibus in pago *marstem* (a) in uilla nuncupante *fohanreder* testes aibert radmer adaluuart albmer et alii sex.

## §. 144.

Tradidit ecgio quiddam habuit in *cogbarden* (b) testes marcodo comef eisulf adalold aldmer byda et alii V.

## §. 145.

Tradidit ade quiddam habuit in *bochem* (c) testes reinheri thiadheri gherheri.

## §. 146.

Tradidit *alfric* in *odburgun* (d) mansum unum cum familia eundem mansum excolente testes hunnuard ricbert emmino,

## §. 147.

De Folc-  
loga.

(Z) *Folcloga* sine vilo dubio abbatis nostri Warini fratria erat. Infra enim §. 231. eius vir appellatur *Beuo*, qui citra controuersiam est saepe nominatus *Beuo* comes, pater *Beuonis*, atque auus *Bouonis*, abbatis Corbeiensis, gubernantis abbatiam nostram tempore Ottonis caesaris, ut infra videbimus. Hanc autem *Folclog* ex stirpe Widekindi Magni, cuius probabiliter neptis fuit, oriundam fuisse, ex illis, quae hoc loco donat, colligere licet bonis, in pago *Mersem* sitis. In eodem pago, et in eadem villa nepos eius ex fratre, *Wibertus*, (§. 337.) monasterio nostro quaedam donauit. In eodem pago eius pronepotes atque abnepotes praedia sua habuere, immo malla seu iudicia sua exercuerunt, ut iam supra §. 104. not (u) demonstraui. Unde probabilissimum est, hanc *Folclog* ad stemma Widekindum spectasse. Et quis credere potest, *Beuonem* comitem, ducis Ecberti filium, aliam feminam, quam ex stirpe quadam illustri oriundam, in matrimonium duxisse? Talis sine dubio vilo stirps *Widekindi M.* fuit.

De pago  
Marstem.

(a) Pagus *Marstem* ex mente *Casp. Abellii* in *Antiquit. Saxon.* p. 318. a fluuio Innerste nomen accepit, atque in episcopatu Hildesensi inueniendus est. Sed, falli Abellium, eruditi iam pridem agnouere. Illustris *Gruberus* P. I. der *Zeit und Gesch. Beschv. der Stadt Göttingen* pag. 25. hunc pagum in praefectura Calenberg et Blumenau fixit; *D. Grupenius* autem in praefectura Calenberg et Coldingen in Principatu Hannoverano, in *Discept. Forens.* p. 544. collocauit. Adprobant id ipsum villae, quae huic pago in documentis litterariis tribuuntur. Haec vero sunt 1) *Lindart*, *Linderte*: 2) *Lembere*, *Limmer* ante portas urbis Hanouerae: 3) *Patibus* et *Pattenbusen*, oppidum *Pattenfen*: 4) *Runebergen*, *Ronnenberg* vno milliari ab vrbe Hanouera distans: 5) *Tratbe*, villa desolata in praefectura Coldingen prope Coldingam, quam cum Ill. *Grupenio* distinguendam esse censent a villa *Drothe* in pago *Astfalo* in praefectura *Tammonis*: 6) *Havingebusen*, *Herenhausen*: 7) *Bauenstide*, fortassis *Bavenstedt* in praefectura *Steuerswald* in episcopatu Hildesensi: 8) *Walersode*: 9) *Euerdissem*: 10) *Nitelrede*: 11) *Kobbingbusen*: 12) *Herdere*: 13) *Liuktungun*: 14) *Munulo* seu *Mandelslo*: 15) *Fohanreder*, aliaeque, de quibus infra pluribus:

(b) *Cogbarden* erat in pago *Wikanauelde*, hodie dicitur *Kater* in praefectura *Grene* prope vicum *Dellissen* ad siluam *Hils*. Patroni parochiae sunt *Generosissimi* *Krammii*, in *Sampleben* praedium equestre habentes.

De villa  
Bochem.

(c) *Bochem* villa erat sita in pago *Nithega* seu *Nitherfi*, nunc *Buken* in episcopatu *Paderbornensi*, haud procul a *Driborg* et *Swaney*.

De villa  
Odbur-  
gun.

(d) Supra (§. 142.) *Alfricus* quaedam tradiderat in villa *Falhafus* in pago *Nithega*. Iam quaedam addit ex eodem pago in villa *Odburgun*, quae villa *Otbergen* est in diocesi Corbeiensi, vno milliari a nostra Corbeia distans occidentem versus. Nee multo longius abest a villa desolata *Falhafus*. Quomodo vero bona haec in manus domini, e stirpe *Widekindae* orti, peruenerint, diximus ad §. 142. paullo ante.